

**Programma, Ultimis Honoribus Generosi Ac Magnifici Viri, Dn. Henrici de  
Brunschwieg/ Reip. Stetinensis Consulis Senioris, A. D. XIV. Kal. Maias pio  
Solennique ritu sepeliendi scriptum, Studiosam Gymnasii Carolini Iuventutem,  
Ad Augendam Exsequiarum Celebritatem, invitans : [PP. a. d. XIV. Kal. Maias.  
Anno cl Ic LXXI.]**

Stetini: Rhetius, [1671]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747416915>


Druck Freier  Zugang




Ammon, A. G.,  
in H. de Brunshwieg.  
Stettin. 1671.

81.







PROGRAMMA,  
ULTIMIS HONORIBUS  
GENEROSI AC MAGNIFICI VIRI,  
DN. HENRICI  
de Brunschweig/  
REIP. STETINENSIS CONSULIS  
SENIORIS,

A. D. XIV. KAL. MAJAS

PIO SOLENNIQUE RITU SEPELIENDI

SCRIPTUM,


STUDIOSAM GYMNASII CAROLINI  
JUVENTUTEM,

AD AUGENDAM EXSEQUIARUM  
CELEBRITATEM,

INVITANS.

STETINI, TYPIS JOH. VAL. RHETII,

REGII TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ,



ANDR. GOTHOFRED. AMMON,  
SS. Theol. Licent. Prof. P. & Rector  
GYMN. CAROLINI

Studiose Juventuti S.

**H**acesit nuper ex hac vita Magnificus  
Incl. hujus Reipubl. Consul, DOMINUS HEN-  
RICUS de Brunshwieg / sine vivendi a. d.  
IV. Kal. April. factus, quo ipso die annis ab-  
hinc octo & septuaginta eandem fuerat ingres-  
sus. Curiosi observandum sane huacce casum putent, uti  
magnis quibusdam viris Natalem aliquando fatalem fuisse, li-  
terarum alii monumentis prodiderunt. Non dico in præ-  
sentia, quod experientia testatur, primum vitæ hominum ini-  
tium idem quoque mortis esse, nec infantes tantum in lucem  
recens editos, sed clausos quoque in matris utero esse mortis  
obnoxios, vereque conqueri illum:

*Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.*

Sed eodem anni mensisque die vitam suam clausisse nonnullos,  
quo eam annis aliquot ante ortu fuerant, diligentiores vetusta-  
tis scrutatores observant. PLATONEM inprimis memorant  
mortuum natali suo octogesimo secundo: ALEXANDRUM  
MAGNUM die sexto mensis Ἰαργυλιῶν, qui huic fere, in quo  
jam versamur, Aprilis mensi respondet, natum eodemque mor-  
tuum. AVULO Regi Pergameno, & CN. POMPEJO MAGNO  
idem accidisse humanitus, utriusque suo natali, Plutarchus au-  
tor est. De ANTIPATRO Sidonio Poëta Plinius memorat,  
quod febre fuerit correptus quotannis, sed unico tanto tan-  
tum die Natali suo, eaque tandem sera in senectute confectus.  
OCTAVIANUS AUGUSTUS Sextili mense natus fuerat, qui ab  
eodem

REGN. TYPOGRAPH. ET BIBLIOPOL.

eodem Augustus dictus est, perinde ut Quintilis à JULIO CÆ-  
 SARE, cujus ille mensis natalis fuerat, Julius. Utrumq; eo  
 die, quem ut natalem habuere, mortuum observant, AUGU-  
 STUM quidem die suscepti Imperii, JULIUM CÆSAREM Idibus  
 Martiis, cujus de cæde vulgo constat. Ducentis quasi post  
 annis ANTONIUM CARACALLAM occidit in Mesopotamia  
 Macrinus Præfectus Prætorio a. d. VI. Id. April. qui dies na-  
 talis illius erat tricesimus. GREGORIUM M. Rom. Pontifi-  
 cem obiisse Natali suo; CAROLUM M. Imperatorem Aquis  
 Grani sepultum eo die, quo natus olim fuerat, ejus tempesta-  
 tis scriptores referunt. Proavus Fr. Petrarchæ, GARSIAS,  
 in eodem, quo natus fuerat, thalamo, refertur mortuus die  
 Natali centesimo & quinto, quod annis abhinc centum & un-  
 decim. PHILIPPO MELANCHTONI obtigit die XVI. mensis  
 Februarii, quarto & sexagesimo; Nostro, quem diximus,  
 BRUNSVIGIO, Natali nono & septuagesimo. Natus enim fu-  
 erat anno superioris seculi XCIII. Dantisci, parentibus ac  
 Majoribus virtute ac meritis in patriam clarissimis. Est sane  
 inter eas felicitatis partes, quæ sunt extra hominem, prima,  
 generis nobilitas, magnum illa ad virtutum studia, nisi quis  
 degener esse malit, incitamentum. Plerumq; enim paren-  
 tum mores imitantur liberi, frequentius quidem in seqvio-  
 rem, quam meliorem partem: sed neq; hoc tamen nunquam  
 accidit, & consentaneum videtur naturæ, ex bonis bonos ori-  
 ri. Nomina Parentum ac Majorum aliquot beati Consulis  
 hac tabella descripsimus: †

Vel hinc, ne id prætermittamus hoc loco, studiosi histo-  
 riæ domesticæ nonnulla didicerint, quæ ad illustrandas anti-  
 quitates Pomeranicas & Borussiae faciant. Primum quidem  
 memorantur privilegia à priscis Pomeraniæ Ducibus duobus  
 propinquis oppidis concessa; qualibus ex documentis inter-  
 ior provinciæ, singularumq; ejus partium notitia comparatur



Tum quod de Cœnobio isto, certisq; redditibus ad pios usus à religiosis hominibus quondam collatis annotatum est, ad origines sacri patrimonii seu bonorum Ecclesiasticorum in his regionibus pertinet, ex quibus dirimendæ sunt, quæ de iis moveri solent, controversiæ. Ad historiam regni Poloniæ ac Ducatus Borussiae pertinent res gestæ ordinis Teutonici, cujus milites ab insignibus, cruce nigra in albo clypeo & pallio Cruciferos vocabantur: Quorum cum in tabella fiat mentio, pauca de isto Ordine addenda videntur. Sub finem seculi à C. N. duodecimi recepta erat à Saracenis Hierosolyma, frustra resistente FRIDERICO BARBAROSSA. Contra Christiani extorquebant Saladino Ptolemaida, cujus urbis cum diuturna esset obsidio, magna in exercitu ægrotorum multitudo fuit, quibus curandis, religiosi quidam homines Germani pleriq; Brema & Lubeca oriundi societatem iniverunt. Ea post ornata privilegiis & redditibus fundisq; donata, Ordo Teutonicus cœpit dici, quo & resisteretur Christiani nominis hostibus, & laucis agrisq; militibus prospiceretur. Accidit paulo post, cum subita fierent Ordinis incrementa, ut CONRADUS Masoviæ Dux, pressus à Borussia invitaret istos equites; quorū supremus Magister HERMANNUS à Saltza submitit HERMANNUM BALCKIUM cum exercitu. Hujus prosperis successibus motus ordo equitum ensiferorum in Livonia, ab ALBERTO Rigeni Archiepiscopo aliquot annis ante institutus, Teutonico se Ordini adjunxit. Sub initium seculi decimi quarti GOTHOFREDUS Comes Hœnloicus Ordinis Magister XI. novis ex Italia copiis in Borussia ductis, sedem cum magno Commendatore fixit Mariæburgi. Ex eo tempore varia usi fortuna equites, tandem seculi XV. anno LXVI. cum CASIMIRO Poloniæ Rege pacti, eam Prusiæ partem, quæ Regalis hodie dicitur, Regi cesserunt, cujus beneficio reliquam ipsi retinebant. Deniq; ALBERTUS Marchio Brandenburgicus,

gicus, XXXIV. Magister Ordinis, primus Dux BORUSSIÆ  
creatus anno XXV. superioris seculi à SIGISMUNDO I. Polo-  
niæ Rege, ac postea confirmatus à filio SIGISMUNDO AUGU-  
sto, postea illam ditionem reliquit hæreditariam, sed ut feu-  
dum regni Poloniæ; quam hodie libero jure gubernat ejus at-  
nepos FRIDERICUS WILHELMUS Elector. Albertum quidem  
imitatus est GOTTHARDUS KETTELER, ultimus Teutonici  
Ordinis in Livonia Magister, quem idem Sigismundus Aug.  
Rex Polon. creavit primum DUCEM CURLANDIÆ circa annum  
superioris seculi LX. Paulo post id tempus, ut ad institutum  
revertamur, in Comitibus Regni Poloniæ ab eodem Rege bea-  
tus BRUNSVIGII nostri Parens cum omni Bunsvigiorum fa-  
milia ornatus est indigenatu ac privilegiis Nobilium. Ipse  
vero, simul ac postea honestissimis illis parentibus GEDANI,  
in præcipuo Borussiae emporio, in lucem esset editus, sacro  
primū baptisate lotus, & mystico Christi corpori insertus est:  
deinde primis statim ab annis veræ pietatis ac virtutum præ-  
ceptis cœpit imbui, rectisq; studiis, quantum per ætatem li-  
cebat, innutriti: sed orbis Parentum morte infans tutorum  
fidei commendabatur. Illum igitur sex annos natum avun-  
culus Dn. GEORGIUS Giesen / in scholis puerilibus publice  
curavit educari; primum quidem in schola parochiali, post in  
ea, quæ à Monachis cognomen habet. Perceptis vero lati-  
nitatis artiumq; liberalium fundamentis anno hujus seculi no-  
no, cum ipse annorum esset sedecim, missus est Thorunium,  
ubi & continuaret sua studia isto in Gymnasio, & linguam Po-  
lonicam addisceret: cujus ulterius excolendæ gratia biennio  
Thorunii exacto concessit in Poloniam, vixitq; menses ali-  
quot cum Nobili Polono, Bronowskio. Anno seculi XII.  
perceptis Philosophiæ Jurisq; principiis in Academiam Mar-  
purgensem se contulit, studioq; Juris triennium ibi vacavit,  
quod idem sequente biennio est persecutus Heidelbergæ.

Interim alias quoque; Germaniæ Academiæ, Francofurtanam, Wittebergenſem, Lipſienſem, celebresque in illis viros ſalutavit. Poſtea conſilio de adeunda per Helvetiam Gallia capto Heidelbergæ profeſtus Argentoratum ac Baſileam vidit: Genevæ autem ſubiſtitit menſes decem; inde Lugdunum, ac porro Lutetiam Pariſiorum perrexit; Ubi cum Aulam Regis Statumque totius regni paulo penitus eſſet contemplatus, Aureliam ſe contulit in Academiæ: Inde Saulmurium ad Liguriam, ubi propter exquiſitiſſimam ſermonis Gallici dialectum, & corporis exercitia ultra annum eſt commoratus. Faſto ibidem linguæ quoque; Italicæ addiſcendæ initio Italiam quoque; adire geſtiebat. Anno igitur ſæculi XIII. progreſſus per Pedemontium & Sabaudiam pervenit Auguſtam Taurinorum: Inde pergens Villam novam, Aſtam, Alexandriam, Genuam vidit; porro Papiam, Mediolanum, Bergomum & Brixiæ. Veronæ quadrimeſtre commoratus linguæ excolendæ gratia, Vicentia & Patavio Venetias adiit, ubi unum & alterum menſem ſubiſtitit. Regreſſus vidit Mantuam, Ferrariam, Bononiam, Forum Cornelii, (nunc Imola dicitur,) Faventiam, Forum Livii, Cæſenam, Ariminum, Piſaurum, Fanum Fortunæ, Senam Gallicam & alia Umbriæ oppida, Spoletium, Fulginium, Narniam, Interamnium, Ameriam. Ancona denique; Macerata, ac Laureto viſis Romam pervenit. Inde Capuam, Neapolim, Puteolos adiit, viſuque; digna perlustravit. Regreſſus Auſonum oppida Cajetam, Fundos, Formias tranſiit, Taracina, Velitris Romam iterum perlatus. Inde Senis Florentiam perrexit, ubi ſemeſtre ſpatium excolendæ linguæ impendit. Progreſſus Piſtoriam, Lucam, Piſas tranſiit. Ex portu denique; Liburno cum ſeptem Genuenſibus navibus, miſiſ contra piratas Turcicos, Genuam rediit, unde Maſſiliam majore ſcapha piſcatoria navigavit, ſed magno quinque; dierum periculo, cum aliquot naves ipſo inſpectante vi tempeſtatis interirent.


tererent. Aquis postea Sextiis, Arelato, Avenione, Niverno,  
Monte Pesulano, Lugduno, Biturigibus Lutetiam deniq; est  
reversus. Anno seculi XX. mense Aprili Lutetia Rotoma-  
gum perrexit: Porro cum Diepa transfretasset in Britanniam,  
Dubri & Cantuaria Londinum adiit, ubi dum quartum in  
mensum commoraretur, Academias Oxoniensem & Canta-  
brigiensem vidit, iisq; notatis, quæ digna occurrebant, redi-  
ens navigio Belgico Vlissingam appulit. Postquam igitur  
Provincias quoq; ac Civitates Belgicas transiens & perviam  
perlustrasset, Amstelodamo Hamburgum navi est profectus.  
Hinc progressus Stetino tandem Gedanum salvus per Dei  
gratiam rediit. Instituta hæc illi fuerat non tam voluptatis,  
quam civilis prudentiæ comparandæ causa peregrinatio, quo-  
modo cultissimas quasq; gentes eam sibi acquisivisse constat.  
Poëta sane hunc demum vocat ἀνδρα πολύτροπον, qui mores ho-  
minum multorum vidit & urbes. Quamobrem, ut tanto com-  
modius Reipublicæ, cui se totum dicaverat, inservire posset,  
rem sibi familiarem prius constituendam putavit. Factum  
est igitur divina providentia, volentibus ac svadentibus amicis  
& propinquis Gedanensibus & Sedinensibus, ut lectissima  
Virgo MARGARETA, DN. PAULI Slecken / Senatoris quon-  
dam hujus Reip. filia vitæ huic socia comesq; individua de-  
sponderetur, postrid. Non. Octobris anno MDCXXI. Nu-  
ptiæ ipsæ celebratæ sunt a. d. XVII. Kal. Febr. anni sequen-  
tis. Ex eo tempore Patrisfamilias, post etiam Senatoris &  
Camerarii, deniq; Consulis munere functus constanti fide  
& amore Conjugis incidentes quasvis molestias levavit.  
Fuit enim concors illorum Conjugium annorum XXXI.  
*nec malis divulsus querimonis suprema citius solvit amor die.*

Facti sunt interea parentes liberorum octo, duorum virilis, cæterarum muliebris sexus:  
Duobus filiis, totidemq; filiabus jampridem defunctis quatuor superstitis sunt filie, quæ  
uti à Marris obitu debita agrato Parenti pietatis officia præstiterunt; ita nunc cum qua-  
tuor, ex filia, Clarissimo Viro, DN. M. DANIELI Schultze / Scholæ Stetinenfis Sena-  
toris Reçtori nupta, BARBARA, nepotibus, qui beato Viro unicum fuerant senii sola-  
rium,

rum, Patris Aviq; mortem acerbissime lugent. Sed quemadmodum hoc monitu sapi-  
entis largiuntur amori suo; sic dubium non est, quin modum acerbitati luctus postu-  
ri sint, quotquot eo casu afficiuntur gravius, reputantes, quam honeste acta viri beati vix  
quam jucundam sibi reliquerit memoriam in posterum. Non repetemus hic prolixius  
gradus honorum, ad quos suo merito evehctus est, veluti, quando seculi hujus anno xxxii.  
in Amplissimum Senatorum Ordinem cooptatus, postea anno xxxiix. Reipubl. hujus Ca-  
merarius, & deniq; Anno M DC XLI. consentientibus omnium suffragiis Consul rehu-  
ciatus est. Testis est tota civitas, quam prudenter ac fideliter, quoad per valetudinem,  
viresq; licuit, suo munere functus, quæq; vel in Comitibus Provincialibus, quibus sæpius  
hic interfuit, vel alias publico nomine, illi fuerant demandata, sit exsecutus. Animad-  
verterunt, quibus penitus innotuerat, verum ei scopum fuisse propositum, DEI gloriam;  
cui suo conditori, vindici ac summo *Egypti* præstaret fidem, amorem & obsequium,  
certamq; spem upice in illius bonitate collocasset. Attentus enim ac diligens verbi  
divini auditor existit, augustissimo Cœnæ Domini Sacramento frequenter usus, nec pu-  
blica sacra, quantumvis tenui uteretur valetudine, deserens. Impeditus autem ægrimo-  
nia corporis, domi suæ precibus, lætione, cantu pietatis habuit exercitia, in DEI cultu  
non sine delectatione mentis assidue versatus. Signum & hoc fuit recte affecti erga  
DEUM animi, quod neminem volens offendit, sed liberalitate potius, modestia &  
humanitate in civili conversatione adhibita benevolentiam sibi civium comparat.  
Etenim commosefactus est sedulo, quam fluxa sint hæc terrestria, prima statim ætate  
orbatus parentibus, post amicis, uxore ac liberis, filio præsertim & filia, quarum hæc  
Admodum Reverendo, Amplissimoq; Viro, DN. JOACHIMO FABRICIO, SS. Theol.  
& Profes. Publ. Pastori Eccles. ad D. MARIÆ ac Vice-Superintend. Regio nupta, *1717*  
redibus decessit; ille redux factus ex Academia, sed æger, paulò post itidem morte præ-  
matura est extinctus. Accessere direptiones & vastationes, incendia deniq; prædiorum,  
quibus ea redacta sunt ad incitas; à malis etiam nominibus moræ controversia. Quos  
deniq; in cruce annis quasi xL. sensit dolores quotidie, sæpius ei querelas Ezechia animam  
agentis extorsere, cum præterea sæpius adversa valetudine uteretur. Alter annus agitur,  
ex quo affixus læto nec in templum, nec in curiam prodire potuit. Ætate quidem nu-  
pera videbatur cum valetudine rediturus in gratiam, quando obambulare cœperat domi  
suæ: sed defecere sensim vires, cum respirandi accederet difficultas, & tumor postea pe-  
dum auget molestiam. Non sunt quidem passi quicquam in sua fide ac diligentia  
desiderari, qui adhibebantur Medici ac Chirugi peritissimi: Sed instare sentiebat ipse  
finem vitæ. Ut igitur jam pridem consueverat, sic tanto diligentius se ad beatum  
ex hac vita exitum præparavit adhibito etiam denuo SS. corporis ac sanguinis dominici  
viatico, cum infirmus licet certam sibi spem in Servatore suo repositam contestaretur,  
votumq; à Rev. Verbi Divini Ministro factum voce, nutu ac gestu deniq; prosequeretur.  
Exhalavit beatam animam sub precibus adstantium, die suo Natali, quem diximus, annos  
natus LXXIX, quorum XLIX Senatoris, xxx. Consulis officio functus fuerat. Ille quidem  
exegit ætatis fabulam, molestiis, quibus nos undiq; cingimur, solutus. Nostrum est, bea-  
tæ exuvias animæ pio ritu condendas hodie decore prosequi, mortis nostræ memoriam  
recordari sedulo, & bene de pluribus interea merendi nullam occasionem præmittere:  
Cujus quidem rei Studiose imprimis Juventus publico hoc Programme graviter admone-  
tur. Valet.

PP. a. d. xiv. Kal. Majas.

Anno c1717c LXXXI











gicus, XXXIV. Magister Ordinis, primus Du  
creatus anno XXV. superioris seculi à SIGISM  
niæ Rege, ac postea confirmatus à filio SIGISM  
stro, posteris illam ditionem reliquit hæreditaria  
dum regni Poloniæ; quam hodie libero jure gub  
nepos FRIDERICUS WILHELMUS Elector. Albe  
imitatus est GOTTHARDUS KETTELER, ultim  
Ordinis in Livonia Magister, quem idem Sigis  
Rex Polon. creavit primum DUCEM CURLANDIA  
superioris seculi LX. Paulo post id tempus, ut  
revertamur, in Comitibus Regni Poloniæ ab eode  
tus BRUNSVIGII nostri Parens cum omni Bur  
milia ornatus est indigenatu ac privilegiis No  
vero, simul ac postea honestissimis illis parenti  
in præcipuo Borussiae emporio, in lucem essec  
primû baptisate lotus, & mystico Christi corpo  
deinde primis statim ab annis veræ pietatis ac  
ceptis cœpit imbui, rectisq; studiis, quantum p  
cebat, innutriti: sed orbis Parentum morte in  
fidei commendabatur. Illum igitur sex annos  
culus Dn. GEORGIUS Giesen / in scholis puer  
curavit educari; primum quidem in schola par  
ea, quæ à Monachis cognomen habet. Perea  
nitatis artiumq; liberalium fundamentis anno h  
no, cum ipse annorum esset sedecim, missus est  
ubi & continuaret sua studia isto in Gymnasio, &  
lonicam addisceret: cujus ulterius excolendæ  
Thorunii exacto concessit in Poloniam, vixit  
qvot cum Nobili Polono, Bronowskio. An  
perceptis Philosophiæ Jurisq; principiis in Aca  
purgensem se contulit, studioq; Juris trienni  
qvod idem sequente biennio est persecutus

)( 3

